



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Galea.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

In militari disciplina Serra subsidium significat, de qua apud Fl. Vegetium : *Si ducenda seris, ex abundantibus ducendam esse, propterea quod si de loco suo ordinatum militem transferre cuperis, universa turbabis.* Serra enim a strenuis directa, ante frontem hostibus opponitur, ut turbata acies reparetur, sitque ad similitudinem A literæ vel libellæ fabrilis. Fuit etiam Germanici numi nota, de quo apud Tacitum legas, eaque de causa Serratus dicitur.

DE GALEA. CAP. LXXXI.

Quoniam de armis ad offensionem comparatis est dictum satis, nunc de galea & thorace, quæ ad defensionem accipiuntur, dicendum aliquid.

PRINCIPIA OCCULTA. CAP. LXXXII.

Galea, qua Plutonis caput in primis tegitur, significat occulta esse principia generationis. Plutonium autem Solem interpretantur, eo tempore quo per hyemem remotas a nobis mundi partes circuit : unde etiam Proserpinam rapuisse confinxere, de cuius rei significato passim habetur. Illud addam, sceptrum illi & breve & aduncum figurari, quod inferioris regni indicium habetur.

ROMA. CAP. LXXXIII.

Romæ quoque caput galeatum in numis passim, & aliis veterum monumentis. Id quamvis alia de causa fieri dixerimus, nisi ut fuisse eam omnino Martiam intelligamus ?

THELESILLA. CAP. LXXXIV.

Et Thelesillæ Archivæ poeticis studiis claræ statuam se vidisse Pausanias affirmat, quæ una manu galeam, altera velitarem hastam teneret, libris circa pedes appositis : ob præclarum scilicet facinus, quod illa castis acie ad unum Argivis a Cleomene Spartanò, senes & pueros armatos mœnia tueri iusserit, ipsa cum valida mulierum manu hostem ad urbis direptionem incurstantem exceperit, fuderit, fugaveritque.



*Sic Græci
πάλαιον
vobis di-
unt.*

PERICLES. CAP. LXXXV.

Cur vero Periclis statuæ casside tegerentur, si quaesierit quis, sciendum id a sculptoribus ea de causa excogitatum, ut eo remedio capitis vitium emendaretur : capite enim is fuisse traditur oblongiore, nec cæteris partibus respondente, quod deformiorem hominem red-
debat. Constat eum ab obtrectatoribus ea de causa *ρονονικέ Φαλον* appellatum, utpote qui caput *ρονονικέ-
Φαλον* iunci instar acutum notarent. Quo vocabulo nonnulli decepti, *κωϊκός Φαλον* apud Plutarchum *Φαλ-
δίτιος* legi credidere, commenti etiam causam, sed ineptam & importunam, id ei nominis datum, ob a-
gendi, sandique libertatem, quam is, ut iidem ajunt, ad impudentiam usque vendicasset.

*Pericles cur
ρονονικέ-
Φαλον
αίτιος. Un-
de Statius :
Propugnans
pellens tho-
rac.*

DE THORACE. CAP. LXXXVI.

Thorax porro munimenti signum ponebatur : vitalia enim defendit universo pectore circum-
fusis. Deque hoc Antisthenes Philosophus dicere solebat, *είνα Φάλαγγον επλον είναι τλω άρε-
την* virtutem, quod auferrî minime posset, munimentum esse. Nam & ensis & clypeus excuti amittique
possunt : sapientiæ arma, quæ quis accinctus fuerit, firma sunt & stabilia. In pectore autem ita
habere sedem sapientiam, ut pro sapientia pectus ipsum aliquando ponatur, ostendit Horatius, ubi
dicit in Epistolis,

Non tu corpus eras sine pectore,

Yyy 2

PUGIO.